



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Richardvs Ep. 3. Aprilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

S. RICHARDVS EP. 3. Aprilis.

homines fr
& in pun

RICHARDVS natione Anglus fratris inopiam
servilibus ministeriis voluntate susceptis, le-
vavit, eidemque paternâ hæreditate, pactoque
nobilis & opulentæ virginis matrimonio cessit.
Dum litteris navaret operam, nullo certo vivendi
præsidio, communi cum Sodalibus duobus pallio,
vicissim scholas aditurus utebatur. In Episcopatus
fastigium evectus, cum honore, ut assolet, non
mutavit morem, paupertatem à se fugientem velut
elapsam bonam fortunam insecutus: aureis quip-
pe argenteisque vasis in pauperum annonam ex-
pensis, præstare dictitabat, fictilibus, more paren-
tis, cœnare, quàm Christum egenorum turbâ re-
præsentatum esurire. Uno pane mille homines sa-
turavit, Deo voluntati benefaciendi facultatem
suggerente. Aliquot suarum domorum incen-
dium restrictæ ad largiendum manus vindictam
est interpretatus; & quos multi convicio à se ma-
nuque rejiciunt inopes, tanquam accepturus, non
daturus beneficium, ad petendum blando affatu
excitabat: ejus facti rationem postulatus, illud
ex divinis literis protulit: *Domine præveniisti eum in
benedictionibus dulcedinis.* Sub mortem notum Dei-
paræ cultoribus carmen à Sacerdotibus lectulo
adstantibus iterari voluit:

Maria mater gratiæ, Mater misericordiæ, Tu
nos ab hoste protege, Et horâ mortis suscipe.

Immortuus est sacræ crucis complexibus ad an-
num M. CC. XLV. *Ex Surio.*

*Dic mihi, ubi nunc amatores mundi, qui ante pati-
ca tempora nobiscum erant? quid ex eis remansit, nisi
cineres & vermes? Attende quid sunt, quid fuerunt?*

homi-

April. 3. April.
 homines fuerunt, sicut tu, comederunt, biberunt, riserunt
 & in puncto ad inferna descenderunt. Bern. l. Med. c. 2.

S. JOSEPHUS POËTA C.

3. April.

JOSEPHVS ævi sui Poëta clarissimus Thessalo-
 nicæ & Byzantii vitam egit, qualem agere Mu-
 sæ amant, à mundi turbis semotam. Parnassus ei
 cella, lectus terra, cibus panis, potus aqua fuit: nam
 hâc, & non mero fluere Hippocrenen noverat.
 Hic ille sacrorum vatum monumenta lectitare, in
 vota non vana Poëtarum nomina, sed Numen
 vocare, atque ita demum pleno ore Cælites canere.
 Porrò in D. Bartholomæi laudes iturus, cum
 evocare omnes ex Helicone Musas gestiret, medi-
 tabundo ipse Divus adesse, & libro pectori admo-
 to benè precari visus est. Non è Parnasso, sed cæ-
 lo hoc fuit somnium. Nam deinceps versus JOSE-
 PHVS non fecit, sed fudit, ut qui exciperent, jam
 olim ad omnes unguis examinatos, nunc è me-
 moriâ tantum promi autumarent. Itaque Impera-
 toribus etiam gratus, non potuit tamen, quin in
 exilium secundò pelleretur. Sed quia causam ha-
 bebat cum DEO communem, etiam hîc Poëtarum
 ingeniosissimum vicit, locoque ac muneri suo
 semper restitutus, demum immortalis laureâ do-
 nandus ad Mecænates suos abivit Superos. Hos
 omnes, quos quidem versu laudavit, ad exequias
 Poëtæ sui confluisse, S. Theodorus ab iis ipsis
 rediens cuidam ad tumbam suam supplici narra-
 vit. Tantum refert, scire quos laudes. Nunc dum
 non laudanda in mundo laudant Poëtæ, quod pre-
 tium ferunt, nisi ut splendidè diu mentientibus
 mundus splendidius mentiatur, & post multas fa-
 bulas